

negant, quod vox *Omnis* in singulari numero possit sumi collectivè, inter quos etiam est Tataretus, qui in *Summ. Petri Hispani tract. 12. Sciendum*, inquit, quod alia difficultas est, utrum hoc signum *Omnis* in singulari numero possit teneri collectivè, ad quam respondetur breviter, quod non, licet benè in numero plurali & tunc accipitur equivocè. Sunt verba Tatareti, quibus apertè negat, quod vox *Omnis* in singulari numero possit sumi collectivè. Verùm opposita sententia, quod nempe *Omnis* in singulari etiam numero possit sumi collectivè, solet à quibusdam præferri, & probari inter alia ex loco Pauli 2. Timoth. 3, 16. *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*: in hoc dicto sumi dicitur vox *Omnis* collectivè, quia *Omnis* ostendit, Scripturam vel libros Scripturæ esse simul sumendos, ut non de quovis Scripturæ dicto vel libro seorsim subjectum intelligatur. Quod attinet ad hoc exemplum, id in medio relinquimus. Non tamen videtur rejicienda esse sententia ipsa, quod *Omnis* in singulari etiam collectivè sumatur.

TH. X. Differunt *Omnis* collectivè acceptum & distributivè sumtum. Quod vox *Omnis* collectivè sumta & distributivè accepta differant, probatur (1.) quia quando *Omnis* collectivè sumitur, est pars subjecti, quando verò distributivè sumitur, non est pars subjecti, (2.) quando vox *Omnis* sumitur collectivè, sub eâ non possum descendere seorsim ad ea, quæ sub nomine communi continentur, ut quando dico: *Omnia elementa sunt quatuor*, non possum seorsim de quolibet elemento dicere, quod sit quatuor:
sub